

ritate convalescere potest. Ita DD. comm. ex c. Lator. tit. c.

(4. *Tertio*: « Sententia censuræ, ut excommunicationis, suspensionis et interdicti, etiam post elapsum decennium ad appellandum jure concessum, non transit in rem judicatam, quominus excommunicatus, v. g. quandoque petere possit absolutionem, et per simplicem querelam de injusta excommunicatione conqueri, quamvis non audiatur per viam appellationis, ut tradit Gl. in C. ad reprimendum 8, De offic. jud. ordin., verb. *Suspendatur*; Abbas, in c. *Consanguinei* 1, n. 9 (De sentent., etc.)... idque sumitur ex c. *Cum contingat* 36, De offic. jud. deleg., c. fin. *De penis*, c. *Sacro* 48, De sentent. excomm., ex quibus constat quod petens absolutionem, et probare volens sententiam esse injustam, semper auditur (112). Ratio est, quia in his sententiis censurarum eadem militat ratio, quæ in sententia lata in causa matrimoniali, adeoque etiam locum habet eadem juris dispositio.

(5. « Similiter (* nota *) », si semel per sententiam fuit pronuntiatum, aliquem non esse ligatum excommunicatione, potest etiam post decennium adhuc probari esse ligatum; quia pronuntiatio judicis, quod quis non sit excommunicatus, non mutat rei veritatem, si vere sit excommunicatus. Verumtamen post terminum appellationis elapsum, præsumitur pro justitia excommunicationis, ita ut excommunicato incumbat onus probandi, quod excommunicatio sit injusta. » Hæc Pirrhing ad tit. *De sentent.*, etc., n. 58. Idem docet Schmalzgrueber ad tit. cit., n. 69.

(6. *Quarto*: « A sententia lata in causa beneficii, a qua intra decem dies non est appellatum, non transit in rem judicatam in præjudicium Ecclesiæ, vel in præjudicium animæ, si periculum peccati imminet... Quare si quis non canonice et legitime promotus sit ad prælaturam, vel beneficium, vel intrusus, potest quis, etiam post decem dies, eum denunciare judici, vel proponere querelam ad impediendum peccatum, et Ecclesiæ damnum, ut colligitur ex c. *Constitutis* 48, in fine, De appellat. Quinimo etiam iudex potest ex officio in tali casu, si a sententia non sit appellatum intra decem dies, inquirere de titulo legitimo, et procedere contra non canonice electum vel institutum, ut a prælatura vel beneficio amoveatur.

(7. « Verumtamen sententia lata in causa beneficii per lapsum decennii transit in rem judicatam in proprium præjudicium beneficiati contradicentis, ita ut opponere volens postea, non sit audiendus, c. *Quod ad consultationem* 15 (De sentent., etc.), et habeatur in c. *Cum dilectus* 32 in fin. (De elect.) ubi Abb. ait quod in præjudicium beneficiati transeat sententia in rem judica-

(112) Adeoque in causis censurarum semper est audiendus, qui se immerito excommunicatum queritur, cap. 36, *De offic. et potest. jud. delegat.*,

tam, quia ipse sine peccato potest non contradicere seu non se opponere. » Unde cum semel acieverit sententiæ, non appellando, non potest amplius contradicere, Marant., *De ord. judic. p.* in actu 1 *De sentent.* n. 150, ubi ait quod sententia lata in causa beneficii ecclesiastici non transit in rem judicatam in præjudicium superioris, sed bene transit in præjudicium ipsarum partium. Pirrhing *loc. cit.*, n. 59.

Audiamus pariter Schmalzgrueberum in hæc verba: « Sententia lata in causa beneficii (non transit in rem judicatam), argumento ducto a matrimonio carnali ad spirituale; nam etsi vi istius, ille, qui per eam in causa succubuit, et intra decennium a sententia non appellavit, eo elapso, opponere volens, non audiatur, et sic quoad ipsum eatenus sententia transeat in rem judicatam, non tamen decennii lapsus victorem ita securum efficit, ut non, eo elapso, de nullitate tituli adversus illum opponi a quocunque, vel inquiri ex officio possit a iudice. » Ad cit. tit. *De sentent.*, etc., n. 65.

(8. *Deinde*: « (Non transit in rem judicatam) sententia lata ex falsis instrumentis vel testimoniis, præsertim si testes pecunia corrupti fuerint. Nam hæc etiam post decennium retractatur, si ea condemnatus probet, adversarium hujusmodi instrumentis vel testamentis usum et iudicem in pronuntiando eorum fidem secutum esse, cap. *Cum J. et A.* 22, (cit. tit. *De sentent.*) l. *Divus* 38, ff. eod. 1, et qui 2 l. *Falsam*, cod. *Si ex falsis*, etc. Addidi, « et iudicem eorum fidem secutum esse: » nam, ut recte advertit Abb., si iudex, prolatis instrumentis pluribus, quibusdam falsis, quibusdam veris, aut plurium testium quorundam corruptorum, aliorum idoneorum attestacionibus receptis, vera secutus sententiam tulit, hæc in rem judicatam transit, et confirmanda est, per textum cap. *Cum J. et A.* cit., quod utile per inutile vitari non debeat, ut habet reg. 36, *De R. J.* in 6. » Ita anted. Schmalzgrueber, *ibid.*, n. 66.

(9. *Amplius*: « (Non transit in rem judicatam) sententia lata ex juramento necessario, quod in supplementum probationum a iudice delatum est parti; hæc enim ex repertis postea instrumentis, etiam lapsa decennio, impugnari, et postquam falsitas, et injustitia juramenti sufficienter probata fuerit, retractari potest, ac debet, ut habeatur l. *Admonendi* 33, ff. *De jurejur.* » Idem, *ibid.*

(10. *Pari modo* non transit in rem judicatam sententia lata ex probationibus a jure reprobatis, v. g. per duellum aut experientiam ferri candentis, aquæ frigidae aut ferventis; nam tali casu sententia est ipso jure nulla. — Schmalzgrueber, *l. cit.*, n. 68.

(11. *Denique* quævis sententia, quando causa, ex qua aliquis condemnatus est, ad non

cap. 48, *De sentent. excommunicat.* — *Devoti Jus canon. univ. De sentent.*, etc., § 8.

causam transit; hinc revocanda et pretium restituendum sartori vel fulloni est, quod solvere per sententiam debuit ob pannum aut vestimentum sua culpa amissum, si hoc, soluto pretio, repertum fuit, l. *Si fullo* 2, *De conduct. sine caus.* — Idem, *ibid.*

(12. Expensas porro iudicii quod attinet, illud utique exploratum est, quod victus victori in hujusmodi expensis sit condemnandus, textu expresso in l. *Properandum*, et DD. communiter. Quæ regula procedit non solum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus, sive procedatur per viam accusationis, sive denuntiationis aut inquisitionis. *Communis.*

(13. Fallit nihilominus dicta regula, quando victus justam causam litigandi habuit, quo casu expensæ compensantur. Etsi vero non possit dari regula certa, quando quis censeatur habere justam causam litigandi, nihilominus attamen quedam causæ et circumstantiæ vulgo assignantur ad

TRANSLATIO.

SUMMARIUM.

1. Translato festo, ordinarie non transfertur indulgentia. — 2. Festum duplex occurrens ante octavam non privilegiatum, non est transferendum post octavam, sed infra eandem celebrandum est prima die non impedita. — 3. Festum semiduplex occurrens in festo duplici infra octavam non privilegiatum, non est transferendum post illam, quando dies immediate sequens impedita non fuerit. — 4. Officium semiduplex occurrens in Dominica infra octavam non privilegiatum olim non erat celebrandum in feria secunda sequenti, licet non impedita, si adesset reponendum aliud festum altioris ritus: secus tamen hodie propter posterius decretum relatum infra, sub n. 19 et 20. — 5. Non est transferendum in diem immediate sequentem festum illud, ante cujus translationem habentur reponenda alia officia prius translata ejusdem ritus, excepto festo semiduplici in Dominica infra octavam non privilegiatum occurrente. Adest tamen posterius contrar. decret. — 6. In repositione duorum vel plurium festorum ritum habentium eundem, et die occurrentium diversa, debet attendi prioritas translationis, nisi attendenda sit major dignitas. — 7. Si plura sint transferenda festa eadem die occurrentia, quibus non convenit ratio majoris dignitatis, debet attendi in eorum repositione major apparatus vel populi concursus. — 8. Officium particulare alicujus diocesis vel religionis occurrens die 25 Februarii est transferendum in anno bissextili ad primam diem non impeditam; dummodo non sit duplex primæ classis. — 9. Si occurrerint vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus unica die occurrentia, quorum unum sit universale et alterum particulare alicujus diocesis, vel religionis, debet fieri prius de universali, et deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. — 10. Si simul sint transferenda festa

(115) Aliæ causæ a DD. ad rem enumeratæ sunt istiusmodi. Nempe, 1^o si victus intentionem, vel exceptionem suam semiplene probavit, et spectare potuit, se admittendum ad juramentum suppletorium; 2^o si eadem probavit testibus, qui præter spem ejus fuerunt reprobat; vel aliter deposuerunt in iudicio, quam extra hoc rem se habere jactarunt; 3^o si pro se habuit sententiam plurium jurisperitorum facultatis cujusdam juridicæ, aut saltem unius celeberrimi doctoris; 4^o si jura pro et contra litigatorem militancia ambiguos et varios intellectus

rem a DD. inter quas et hanc habeto (113), nempe ubi quis litigat *ob suum pudorem servandum*; siquidem parcitur verecundiæ, et pro servando pudore multa permittuntur, alias prohibita. Ventriglia *Prax. rerum notabil.*, etc., part. 1, adnotat. 21, n. 26.

(14. « Nota (vero) in hac materia notabilem decis. Gram... ubi habetur, quod ea quæ diximus de justa causa excusante victum ab expensis, de plano procedunt in reo, non autem in actore; qui non ita simpliciter excusatur ab expensis; quia, cum sit in ejus potestate venire ad iudicium, debet venire instructus et provisos, alias sibi imputandum est, et proinde tanquam succumbens in facto proprio, in quo error prætendi non potest, debet condemnari in expensis, sive simus in causa principali, sive appellationis... quia non investigavit omnia quæ debuit, antequam perveniret ad iudicium. » Ventriglia, *loc. cit.*, n. 29.

S. Marci Evangelistæ, et SS. apostolorum Philippi et Jacobi, debet prius reponi festum S. Marci, deinde festum Apostolorum. — 11. Si simul transferenda sint festa S. Josephi et Anuntiationis B. Mariæ virginis, debet prius fieri officium Anuntiationis, et deinde de S. Josepho. — 12. Si festum Anuntiationis B. M. 7. occurrerit in feria sexta in Parasceve, vel Sabbato sancto, transferri debet ejus officium una cum præcepto audiendi missam; et vacandi ab operibus servilibus ad feriam secundam post Dominicam in Albis, protracto ad alium diem festo in ea occurrente, nisi fuerit duplex primæ classis. — 13. Si festum S. confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in hymno *Iste confessor* nulla fit mutatio versiculi, sed debet dici *Meruit beatas*. — 14. Translato autem festo S. confessoris ultra sequentem diem, in hymno *Iste confessor* facienda est mutatio versiculi dicendo *Meruit supremos*. — 15. Officium nominis B. M. V. occurrens in festo Exaltationis S. Crucis, vel in alio altioris ritus, aut dignitatis, debet transferri, non vero omitti. — 16. Si in die Commemoracionis omnium fidelium defunctorum occurrerit Dominica, vel aliquod festum de præcepto, officium cum missa defunctorum transfertur in sequentem diem, etiam festo duplici impeditam. — 17. Festa duplicia et semiduplicita translata preferenda sunt officii semel in hebdomada concessis. — 18. Officia sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembri, licet alias transferri possent in annum sequentem, secus nunc. — 19. Officium semiduplex in Dominica infra Octavam non privilegiatum occurrens tantum habet juris in feria immediate sequenti non impedita, ut non cedat duplici 1 classis translato. — 20. Pluribus festis ejusdem ritus translatis, officium de primo translato recitandum est, etiamsi ultimo translato posset in diem immediate sequentem transferri, semidu-

habeant, ita ut quis frequentiori et meliori DD. calculo approbatus sit, non facile cognoscatur; 5^o si actor plus dubito sibi petiit; 6^o si victus suscepit causam jussu superioris, Papæ, vel alterius principis; 7^o si actor debitorem de solutione non interpellatum in jus vocari petiit, et reus comparens debitum confiteatur, seque ad solutionem paratum offerat; debuisset enim actor eundem extrajudicialiter pro solutione interpellare, quam deferre causam in iudicium. Schmalzgrueber, *De sent.*, etc. n. 113.

plici tamen occurrente in Dominica infra octavam non privilegiatam excepto. — 21. Alia ad rem, *remissive*. — 22. Monialis translata ad aliud monasterium, nisi aliud disponat sacra congregatio, relinquit dotem primo, solvitque novam secundo. — 23. An monialis translata vel regularis translatus possit secum deferre ad monasterium *ad quod*, vel

(1. Translato festo, in cuius die conceditur indulgentia non transfertur etiam indulgentia, nisi ex concessione speciali. Sac. congreg. Rit. 10 Junii 1690.

(2. Festum duplex occurrens ante octavam non privilegiatam non est transferendum post octavam, sed infra eandem celebrandum prima die impedita. Sac. congreg. Rit. 30 Sept. 1679.

(3. Festum semiduplex occurrens in festo duplici infra octavam non privilegiatam non est transferendum post illam, quando dies immediate sequens alio festo duplici vel semiduplici impedita non fuerit, sed faciendum tunc est officium die immediate sequenti. Sacra Rit. Congr. 30 Septemb. 1679.

(4. Officium semiduplex occurrens in Dominica infra octavam non privilegiatam non erat olim celebrandum in feria secunda sequenti, licet non impedita, si adesset reponendum aliud festum altioris ritus. Sacra Rituum congregat. 1 Martii 1681. Secus tamen hodie propter posterius decretum relatum infra sub num. 10 et 20.

(5. Non est transferendum in diem immediate sequentem festum illud, ante cuius translationem habentur reponenda alia officia prius translata ejusdem ritus, non obstante decreto edito die 30 Septembris 1679. Quoad vero festum semiduplex in Dominica infra octavam occurrens, omnino servanda est rubrica generalis breviarii de translatione festorum n. 5. Sacra congregat. Rit. 22 Decembr. 1696. *Vide* tamen resolutiones sacre congreg. in fin. h. tom., ubi afferuntur contraria recentiora decreta, et serva ut ibi.

(6. In repositione duorum vel plurium festorum ritum habentium eundem, et die occurrentium diversa, attendatur prioritas translationis, nisi attendenda sit major dignitas. Sac. Rit. Congr. 13 Junii 1682.

(7. Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt, et quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen, quod sint ejusdem ritus. Sac. Rit. Congr. 20 Julii 1686.

(8. Officium particulare alicujus diocesis vel religionis, quod occurrit die 25 Februarii, est transferendum in anno bissextili ad primam diem non impeditam, dummodo non sit duplex primæ classis. Sac. Rit. Congr. 7 Septemb. 1680.

(9. Si occurrerint vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrerent, quorum unum sit universale et alterum particulare alicujus diocesis vel religionis, prius fiat de universali, deinde

debeat relinquere monasterio *a quo* bona, quæ habet, *remissive*. — 24. Quoad ea quæ concernunt translationem episcopi de una ad aliam ecclesiam, *remissive*. — 25. Quoad ea quæ concernunt translationem conventuum, *remissive*. — 26. Quoad ea quæ concernunt translationem imaginum et reliquiarum, *remissive*.

de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. Sac. Rit. congregat. 27 Septemb. 1698.

(10. Si simul sint transferenda festa S. Marci Evangelistæ et SS. apostolorum Philippi et Jacobi, prius reponatur festum S. Marci, deinde festum apostolorum. Sac. Rit. congreg. 18 Septembr. 1666.

(11. Si simul transferenda sint festa S. Josephi, et Annuntiationis B. M. V. prius reponatur Annuntiationis festum, deinde S. Josephi, non obstante decreto edito in contrarium sub die 12 Junii 1682. Sacra congreg. Rit. 14 Junii 1692.

(12. Si festum Annuntiationis B. M. V. occurrerit in feria sexta in Parasceve vel Sabbato sancto, transfertur ejus officium una cum præcepto audiendi missam, et vacandi ab operibus servilibus ad feriam secundam post Dominicam in Albis, protracto ad aliam diem festo in ea occurrente, nisi fuerit duplex primæ classis. Sacra Rituum Congr. 11 Martii 1690. *Vide* tamen verb. RESOLUTIONES SACR. CONGREGAT. in fine hujus tom.

(13. Si festum S. confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in hymno *Iste confessor*, etc., nulla fit mutatio versiculi, sed dicitur *Meruit beatas*, dummodo primæ Vesperæ non sint impeditæ. Sac. Rit. Congr. 13 Januarii 1683. (14. Translato autem festo S. confessoris ultra sequentem diem, in hymno *Iste confessor* facienda est mutatio versiculi, dicendo *Meruit supremos*. Sacra Rit. congregat. 14 Junii 1692.

(15. Officium nominis B. M. Virginis occurrens in festo Exaltationis Sanctæ Crucis, vel in alio altioris ritus, aut dignitatis, transferatur, non vero omittatur. Sacra Rit. Congr. 20 Julii 1686.

(16. Si in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum occurrerit Dominica, vel alicubi festum de præcepto diei Dominico æquale, officium cum Missa defunctorum transferatur in sequentem diem etiam festo duplici impeditam. Sacra Rit. Congr. 5 Octobr. 1688.

(17. Festa duplicia et semiduplicia translata præferenda sunt officiis semel hebdomada concessis, ita ut festum duplex, seu semiduplex etiam translatum, nec non dies octavæ sit dies impeditus respectu talium officiorum. Sac. congreg. Rit. 8 Feb. 1699 et 26 Martii 1706. *Vide* Resolutiones sacre congregat. in fin. h. tom., ubi afferuntur de litteram.

(18. Officia sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembris, alias transferri poterant in annum sequentem ex decreto S. Rit. Congr. 7 Decemb. 1680. At nunc id vetitum est ex decreto ejusdem sacre Rit. Congr. die 26 Nov. 1733, et 8 Martii 1738.

(19. Officium semiduplex in Dominica infra octavam non privilegiatam occurrens tantum habet juris in feria secunda immediate sequenti non impedita, ut non cedat duplici primæ classis translato. Sac. Rit. Congr. 16 Septembris 1702.

(20. Pluribus festis ejusdem ritus translatis, officium de primo translato recitandum est, etiamsi ultimo translato possit in diem immediate sequentem transferri, non obstante quocunque alio decreto in contrarium. Semiduplex tamen occurrens in Dominica infra octavam non privilegiatam celebrandum est ante quocunque prius translato etiam 1 classis feria II immediate sequenti, alio festo occurrente non impedita. Sac. Rit. Congr. 16 Septembris 1702.

(21. Alia ad rem. *Vide* verb. FESTUM OCTAVÆ, verb. OFFICIUM DIVINUM et Resolutiones sacrarum congregationum, Rubr. De translatione festorum.

(22. Monialis translata ad aliud monaste-

TREBELLIANICA

Vide verb. FALCIDIA an. 4

TREGUA

SUMMARIUM.

1. Tregua quid sit. — 2. Treguæ in jure civili alio nomine vocantur *Induciæ*, vulgo *Armistitium*. — 3. Pax quid sit. — 4. Tregua est duplex, scilicet conventionalis, et canonica seu legalis. — 5. Tregua conventionalis quæ sit. — 6. Tregua canonica seu legalis quæ sit. — 7. Treguæ canonicæ

(1. Tregua est securitas personis et rebus ad tempus præstita, bello, vel discordia seu lite nondum finita. Sic in re communis.

(2. Unde treguæ in jure civili vocantur alio nomine *Induciæ* (vulgo *Armistitium*), quia tregua proprie dicta nihil aliud est quam induciæ belli, cum scilicet inter hostes ad breve tempus convenit, ne se invicem armis lacessant, textu expresso in l. *Postliminium* 29, § 1, ff. *De captivis et postliminio reversis*, ibi: « Induciæ sunt, cum in breve et in præsens tempus convenit, ne invicem se lacessant. » (3. Pax autem ad differentiam treguæ est totalis, et perpetua discordiæ seu litis, aut belli peremptio voluntarie inter litigantes facta: non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut vix acquiratur, c. *Noli* 3, caus. 13, q. 1.

(4. Tregua est duplex, scilicet conventionalis, et canonica seu legalis. Sic Glossa communiter recepta in c. *Treguas* 1, verb. *Frangere*, De tregua, et pace.

(5. Tregua conventionalis est illa, quæ ex

(114) Hinc hujusmodi induciæ, facta conventionem, ligant primario paciscentes, secundario subditos, sive per modum contractus publici, ut contendit Textor in *Synops. jur. gent.*, c. 19, sive per modum legis post factam promulgationem, ut vult Grotius, lib. II, c. 22, sive demum utroque modo, quod P. Schwarz probabiliter videtur *Institut. iur. univer-*

rium, nisi aliud disponat sacra congregatio, relinquit dotem primo, solvitque novam secundo. Sic pluries decrevit S. Episcoporum Cong. *Vide* verb. MONIALIS, art. 2, n. 50, ubi dantur decreta.

(23. An monialis translata, vel regularis translatus possit secum deferre ad monasterium *ad quod*, vel debeat relinquere monasterio *a quo* bona, quæ habet. *Vide* d. verb. MONIALIS art. 2, n. 50, et verb. AFFILIATIO RELIGIOSORUM.

(24. Quoad ea quæ concernunt translationem episcopi de una ad aliam ecclesiam. *Vide* verb. EPISCOPUS, art. 3, a n. 40 ad 46.

(25. Quoad ea quæ concernunt translationem conventuum. *Vide* verb. CONVENTUS, artic. 1, n. 12 et 13.

(26. Quoad ea quæ concernunt translationem imaginum et reliquiarum. *Vide* verb. IMAGINES, et verb. CULTUS SANCTORUM.

quibus diebus sint servandæ. — 8. Quæ poenæ sint statutæ contra eas violantes. — 9. Quæ personæ gaudeant tregua seu securitate perpetua. — 10. Supradicti duo canones de tregua non sunt usu recepti, nec proinde hodie tenent. — 11. An et quando et quibus de causis inita pax et tregua cum hostibus frangi possit, eisque bellum indicit vel non, *remissive*.

libera litigantium voluntate initur, et ex conventionem formam et modum recipit, sicuti quilibet alius contractus; l. *Depositum*, 1, § 6, ff. *Depositum*, c. *Contractus* 86, De reg. jur. in 6. Unde hæc treguæ seu induciæ conventionales inter gentium jura numerantur, c. *Jus gentium* 9, dist. 1. Omnium enim gentium usu et consensu secundum naturalem æquitatem constitutum est, ut etiam hosti fides data servanda sit, c. *Noli* 3, caus. 23, q. 1. Dummodo is quoque ex sua parte fidem servet, c. *Pervenit* 2, De jurejurando, c. 2, caus. 28, q. 2 (114).

(6. Tregua canonica seu legalis est illa, quæ per canonem seu legem constituta est, de qua fit mentio in c. *Tregua* 1, et c. *Innovamus* 2, De tregua et pace.

(7. Unde in cit. c. *Treguas* assignantur dies, in quibus servandæ sunt treguæ præcisus his verbis: « Treguas a quarta feria post occasum solis, usque ad secundam feriam in ortu solis, ab Adventu Domini usque ad Octavas Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad Octavas Paschæ ab omnibus invio-

sal. p. II, tit. V, instruct. 3, § 2. Terminus porro, a quo induciarum initium sumendum est, non est dies pactas inducias subsequens, ut ait Grotius, *loc. cit.*, cap. 21, n. 5, sed dies a momento perfectæ conventionis fluens, ut recte Puffendorffius, et Schwarzzius, *loc. cit.*, statuunt.

labiliter observari præcipimus. » (8. Et insuper statuuntur gravissimæ pœnæ contra eas violantes, ibi : « Si quis autem treguas frangere præsumperit, post tertiam admonitionem (si non satisfecerit) suus episcopus sententiam excommunicationis dictet in eum, et scriptam vicinis episcopis annuntiet, quorum nullus excommunicatum in communione recipiat ; imo scriptam sententiam quisque confirmet.

(9. Et in cit. cap. *Innovamus* 2, De tregua, assignantur personæ, quæ gaudent tregua, seu securitate perpetua, ita ut belli duces et milites eas molestare non possint, ibi : « *Innovamus*, ut presbyteri, monachi, con-

TRIBUTUM.

Vide verb. GABELLA.

TRIDENTINI CONCILII DECRETA.

(1. Tridentini concilii decreta (115) enuntiantur, et impleri jubentur circa jurisdictionem episcoporum in omnes animarum curam gerentes, et in Ecclesias, quibus annexa est hujusmodi cura. Benedictus XIV, tom. II, constitut. 1, incip. *Quamvis*, et constit. 33, incip. *Inter multa*. (2. Item super electione dignioris inter approbatos ad animarum curam. Idem constit. 4, incip. *Reddita nobis*.

(3. Item super jurisdictione episcoporum in regulares extra claustra degentes. Idem constit. 7, incip. *Pontificia commendatione*. (4. Item super ordinationibus regularium, et super abolitione privilegiorum recipiendi ordines a quocunque, vel extra tempora. Idem constit. 27, incip. *Impositi nobis*. (5. Item de non recipiendis regularium recursibus adversus professionis validitatem post elapsam a die professionis quinquennium; vel si reclamantes extra claustra degant, aut habitum dimiserint. (6. Et de forma servanda in hujusmodi judiciis. Idem constitut. 47, incip. *Si datam*. Vide supra ad

TRISAGIUM.

(1. Trisagium, quo tres personæ divinæ laudantur his verbis : *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis, miserere nostri*; e coelo adductum est, cum puer e terra elevatus Constantinopoli, et in cælum raptus per unam horam, descendit postea illud recitans.

(2. Cum enim orbis pene universus ita horribili et longo terræmotu quateretur, ut anno 446 in sola Constantinopolitana urbe subversa fuerint omnia magnificentiora ædificia, et quingentæ septem turres, ut ex Marcellino refert Berninus tom. I *Histor.*

(115) Ubi Tridentina synodus non est recepta, facultatibus ab illa concessis episcopi uti non possunt. Benedictus XIV *De syn. diocæs.*, lib. IX, cap. 5, n. 2.

(116) Indispensationibus Pontificis, quæ alicui

versi, peregrini, rustici euntes vel redeuntes, vel in agricultura existentes, et animalia, quibus arant et semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur. »

(10. At vero isti duo canones non sunt usu recepti, nec proinde hodie tenent, ut notant Glossa in cit. c. *Treguas*, verb. *Frangere*; Abbas, Innoc. et alii expositores communiter.

(11. An autem, et quando, et quibus de causis inita pax, et tregua cum hostibus frangi possit, eique bellum indici, vel non? Vide verb. *BELLUM* per tot, ubi cuncta, quæ bellum concernunt in quinque distinctis articulis fuse discutuntur.

verb. *REGULARIS PROFESSIO*. (7. Item de confessariis extraordinariis bis aut ter in anno exhibendis religiosarum mulierum communitatibus. Idem constit. incip. *Pastoralis curæ*.

(8. Item de abstinentia clericorum a luxu, conviviis, choreis, aleis. Item constit. 45, incip. *Inter cætera*. (9. Item de coercendis iis, qui mulieres cogunt ad ingrediendam religionem. Idem constit. 47 incip. *Si datam*. (10. Item super facultatibus episcoporum circa ea quæ observari debeant, aut evitari in celebratione missæ. Idem constit. incip. *Acceptimus*. (11. Item super residentia episcoporum, et super eorum absentia causis. Idem constit. 18, incip. *Ad universæ*.

(12. Item de non ordinandis sine causa episcopis titularibus, et de his, quæ hujusmodi episcopis permittuntur. Idem constit. 36 incip. *Cum a nobis*. (13. Item de reservatione causarum criminalium judicio episcopi seu ordinarii, exclusis archidiaconis, decanis, aliisque inferioribus. Idem constit. 40 incip. *Causarum* (116).

omnium hæresum, cap. 6, De gestis tempore Felicis III, afferens quæ scribit Nicephorus lib. XIV, cap. 46, nempe : « Theodosius imperabat, et terræmotus magnus et admirandus exstitit, qui priores magnitudine, celeritate et temporis diuturnitate facile superavit, et non ex intervallo, sed motu continuo omnia concussit, idque per orbem fere universum. » (3. Hac de causa, ne vivi sepelirentur, antequam interirent, imperator Theodosius cum suis magnatibus, Proclus episcopus cum suo clero, civesque omnes extra urbem se receperunt, et bra-

Tridentinæ sanctioni derogant, necesse non est ut expresse isthæc derogatio indicetur, ac sine illa dispensationes vim suam habent. Idem Bened. XIV, loc. cit., lib. XIII, cap. 25.

chiis extensis ad cælum versus, ut scribit Nicephorus, loc. cit., « obtestabantur Deum, ut propitius eis esset, et ab imminente calamitate orbem liberaret. » (4. Tuncque infans, toto populo spectante, in cælum per unam horam raptus est, indeque reversus nuntiavit episcopo ac imperatori, aliisque inibi existentibus, audisse angelos ante thronum Dei hoc divinum canentes trisagium : *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis, miserere nostri*, sibi que mandatum fuisse, ut eam laudationem populo indicaret. (5. Quæ ubi Proclus intellexit, subjungit Nicephorus, loc. cit., « statim ad eum modum psallere jussit, et terræmotus

TUTELA, TUTOR, CURA, CURATOR.

SUMMARIUM.

1. Tutela quid sit. — 2. Tutores qui sint. — 3. Tutela dividitur potissimum in testamentariam, legitimam et dativam. — 4. Tutela testamentaria quæ sit. — 5. Tutela legitima quæ sit. — 6. Tutela dativa quæ sit. — 7. Sic tutores alii sunt testamentarii, alii legitimi, et alii dativi. — 8. Tutela finitur, postquam impubes consecuti sunt pubertatem. — 9. Pubertas quando habeatur. — 10. Tutela finita, incipit cura seu curatio, aut curatela, quæ de jure communi Cæsareo durat usque ad annos XXV completos, tam in masculis quam in feminis. — 11. Si autem per municipale statutum, seu principis alicujus supremi sit taxata minor ætas, v. g. ad annum 20 in masculis, et ad annum 18 in feminis, tunc, eo elapso, minor liberatur a cura. — 12. Sic etiam finitur cura ante dictum tempus, si minor veniam ætatis a principe impetraverit. — 13. Curator quis sit. — 14. Tutores et curatores, in quibus differant inter se ad n. 16. — 17. Stante consuetudine omnium fere regionum, finita tutela, tutor tanquam curator, perseverat usque ad XXI annum. — 18. Non potest tamen, qui fuit tutor, compelli, ordinarie loquendo, ad perseverandum, si noluerit, in curatione et administratione bonorum ejusdem puberis. — 19. Item nec pupillus tenetur stare ejusdem tutoris curæ, nisi forte testator aliter disposuerit. — 20. Tutor dativus perveniente altero ex fratribus ad majoritatem, cessat quoad omnes fratres, et factus major fit tutor aliorum fratrum impuberum. — 21. Non sic autem tutor testamentarius. — 22. Judex pro dando tutore debet habere jurisdictionem in pupillum cui dandus est, et in eum qui dari debet. — 23. Tutor proprie et in rigore constituendus est per judicem habitationis pupilli, quamvis ejus bona alibi exsint. — 24. Si autem administratio dictorum bonorum impugnetur a judice loci in quo sita sunt bona, tunc equidem, ne bona pupilli in deterius abeant, constitui potest a judice loci bonorum curator. — 25. Si pupillus sit clericus, tutor est per judicem ecclesiasticum constituendus. — 26. Neque per judicem laicum potest dari tutor clericus seu ecclesiasticus. — 27. Potest tamen a judice ecclesiastico dari pupillo clerico tutor laicus. — 28. Exstantibus ex eodem patre pluribus pupillis, quorum alii sint laici et alii ecclesiastici, a quo dandus sit tutor. — 29. Curator, si æque principaliter dandus sit personæ, tunc dandus est a judice sub ejus jurisdictione est persona. — 30. Si persona ratione status sit sub uno judice, scilicet clerico sub potestate ecclesiastica, ad bona ejus sint sub potestate laicali, et curator dandus sit tantum bonis, tunc dari debet a judice laico sub ejus jurisdictione

(117) Verum non multo post Petrus Cnapheus in Antiochenam sedem, ejecto Calendione, intrusus salutare Trisagium corruptis, addita ad finem clausula *qui passus es pro nobis, miserere nobis*, totam

FERRAR. VII.

statim etiam constitit, omninoque quievit ; » et ut scribit Felix III Summus Pontifex epist. 3. (6. Quam laudationem ubi populi incooperant, civitatem receperunt, Deoque per hujusmodi laudem propitio facto, et ab imminente ira sunt liberati, et exinde, ut prosequitur, loc. cit., Nicephorus : « Imperator Theodosius et Pulcheria tanto miraculo perculti, constitutione imperiali confestim, ut per orbem omnem hymnus divinus iste concineretur, decreverunt ; et eo tempore Ecclesia Christi eum acceptum, non quolibet tantum die usurpat, sed etiam cujuslibet carminis et laudis Dei initio ante omnia pleno ore præmittit (117). »

sunt eadem bona. — 31. Si curator dandus sit, non solum rebus, sed rebus simul et personæ, licet principaliter rebus, et non nisi secundo personæ, tunc probabilis dandus est a judice sub ejus potestate est persona. — 32. Parentes possunt testamento filiis suis impuberibus, sive masculini, sive feminini sexus tutores constituere, si modo in potestate sua sint. — 33. Pater, etiamsi fuerit minor XXV annis, potest filiis suis dare testamento tutorem, si perpensio consilio id præstet. — 34. Si autem pater fuerit adhuc ipse sub patria potestate, quamvis fuerit major XXV annis, non potest filiis suis tutorem dare. — 35. Potest pater, superstiti matre, filiis suis impuberibus testamento tutorem dare, ipsa matre exclusa. — 36. Mater, qua mater est, non potest filiis testamento tutorem constituere. — 37. Si autem mater in testamento filium hæredem instituat, et simul tutorem ei instituat, erit recte constitutus tutor. — 38. Item quilibet extraneus, si impuberem hæredem instituat, tutorem ei constituere potest a judice cum inquisitione confirmandum. — 39. Item patronus, si libertum hæredem instituat, potest ei tutorem constituere a judice probabilis cum inquisitione confirmandum. — 40. Pater potest in testamento dare tutorem filiis suis quencunque benevisum, et etiam feminam. — 41. Si pater in suo testamento constituit tutores filii et filii, tutela extenditur etiam ad postumos et postumas. — 42. Si pater in testamento constituit tutorem pro filiis, tutela extenditur etiam ad filias. — 43. Si pater in testamento constituit tutorem pro filio, tutela extenditur ad omnes ejusdem filios. — 44. Si pater liberis suis testamento tutores dederit, censetur et nepotibus consuluisse, modo illi in potestate patris non sint relapsuri : secus si filiis, retento proprio nomine filiorum. — 45. Pater filiis suis sub patria potestate non existentibus, sed emancipatis, non potest constituere tutorem simpliciter, sed solum potest ipsis tutorem constituere a judice confirmandum. — 46. Pater nequit filio suo naturali et illegitimo dare tutorem testamento, nisi vel illum hæredem instituat, vel aliquid eidem relinquat. — 47. Regulariter in testamento dari nequit tutor quoad exercitium tutelæ, qui non attigerit XXV annum suæ ætatis. — 48. Filiusfamilias, non obstante quod sit sub patria potestate, si habeat cæteras conditiones ad hoc requisitas, non interdicitur a munere tutelæ. — 49. Servus, durante servili sua conditione, nequit testamento tutor constitui. — 50. Si autem servus constituatur tutor a proprio domino cum scientia servitutis, tunc intelligitur actu prævio liberari a servitute, et sic recte tutor constitutus. — 51. Si vero sit servus

Trinitatem passam fuisse blasphemans, initiumque dans Theopaschitarum sectæ. Damnatus est Cnapheus a Felice III, in Romana synodo an. 485.